



# The Holy See

---

PIUS PP. X

EPISTOLA

**QUA PONTIFEX HORTATUR AD SOLEMNIA QUINDECIES  
SAECULARIA S. IOANNIS CHRYSOSTOMI RITE CELEBRANDA\***

VENERABILI FRATRI NOSTRO  
VINCENTI O S. R. E. CARD. VANNUPELLI  
EPISCOPO PRAENESTINORUM  
PRAESIDI COETUS SOLEMNIBUS CELEBRANDIS  
SAECULARIBUS AB OBITU S. IOANNIS CHRYSOSTOMI

*Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Prope est ut diei memoria quindecies saecularis redeat quum actiosa vexataque multis modis vita Iohannes Chrysostomus sanctissime cessit. Aetati huic nostrae, qua nullam oporteat magis ad illustria quaequam instaurari exemplaria virtutum, gaudet animus insignem hunc virum posse iterum ad imitandum proponere. Siquidem plura ille in se vivendi genera, eaque singularibus plane luminibus laudum micantia, felicissime expressit. Nam, dum adhuc in laicorum coetu detineretur, vitam et mores a saecularium consuetudine ita defendit, ut honestius non posset, donec a fluxarum studiis rerum totum se in divina recepit. Pastor autem Constantinopolitanae ecclesiae datus, officia episcopalis muneris, nulla hominum verecundia, nullo periculorum metu, diligentissime ac fortissime explevit.

Explanator denique nunciusque divinarum legum adeo coeteris in omnes partes praestare visus est, ut et Ecclesiae doctor sit habitus, et nomen ab aureo eloquii flumine invenerit; quare illum Leo XIII fel. rec. Decessor Noster dignum merito censuit quem sacris oratoribus exemplum simul ac

patronum daret. Porro quum Orientalium Chrysostomus ecclesiarum decus et gloria sit, mirum quantum consiliis Nostris Decessorumque Nostrorum conducere est existimandus, ut scilicet, quemadmodum ornamento Ille Romanae Ecclesiae diligendo ac defendendo extitit, ita consolationi extet, unitate tandem Orientalium gentium Nobiscum monitis auspicioque Ipsius, redintegrata. Itaque palam est, Venerabilis Frater Noster, valde Nobis esse cordi sollemnia saecularia praeclarissimi Antistitis magnis sacri cultus coeremoniis haberi iisque non in universis modo Urbis templis quae Orientali utuntur ritu, verum etiam ad ipsam divi Petri Basilicam in monte Vaticano: nimirum expectatione tali permoti atque allecti, ut et elucetes in Chrysostomo virtutes populi admirentur atque imitentur, et ii qui a Nobis, Orientalibus e coetibus dissident, videant perspiciantque quam multam quamque germanam ritibus universis gratiam praestemus, inducantque demum animos optatis Nostris amanter obsequi, et antiquam matrem saluberrimo reditu amplecti. Quamobrem beatum e vita discessum Ioannis Chrysostomi volumus gratulatione maxima et cultu coli, hoc anno, plane singulari; gloriosamque sapientissimi Antistitis memoriam litteratorum etiam conventibus repeti. Ad animos vero excitandos acuendosque, id Nos libentissima voluntate pollicemur fore Nos, reseratis coelestibus thesauris, quotquot in deferendos Chrysostomo honores operam contulerint sacrarum indulgentiarum muneribus amplissime cumulatuos. Auspicem gratiae divinae Nostrique animi testem, Apostolicam benedictionem Tibi peramanter in Domino impertimus.

*Datum Roma e apud S. Petrum, die XXII Iulii anno MCMVII, Pontificatus Nostris quarto.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XL (1907), pp. 453-455.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana